Collecta ~~vt. ē~~

[illegible] operibus legisti: quia ipse dixit
[illegible] mandavit et creata sunt. Ser-
[illegible] ex nichilo facere quod non erat:
[illegible] in id mutare quod non erant?
[illegible] mutare novas naturas
[illegible] argumentis utimur? suis
[illegible] lis: incarnationis exemplis astruamus mis-
[illegible] Numquid nature usus precessit cum do-
[illegible] Maria nasceretur? Si ordinem querimus:
[illegible] femina generare consueverat. Liquet igitur quod
[illegible] ordinem virgo generavit: et hoc quod conficimus
corpus ex virgine est. Quid hic queris nature
ordinem in Christi corpore: cum preter naturam sit ipse do-
minus Ihesus partus ex virgine est? Vera utique caro Christi
que crucifixa que sepulta est. Vere ergo illius car-
nis sacramentum est. Ipse clamat dominus noster Ihesus:
hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum celes-
tium alia species nominatur: post consecrationem corpus
significatur. Ipse dicit sanguinem suum ante consecrationem
aliud dicitur post consecrationem sanguis Christi nuncu-
patur. Tu dicis amen: hoc est verum est. Quod sermo
sonat: affectus sentiat.

Panis est in altari usitatus ante verba sacramen-
torum. Ubi accessit consecratio: de pane fit caro
Christi. Quomodo autem potest qui panis est corpus esse Christi?
Consecratio igitur ex quibus verbis est et cuius quibus
sermonibus est: domini Ihesu. Nam per reliqua omnia que dicun-
tur laus deo offertur: oratione petitur pro populo pro regibus
pro ceteris. Ubi autem sacramentum conficitur: iam non su-
is sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo
sermo Christi conficit sacramentum. Quis sermo Christi? Is
nempe quo facta sunt omnia: celum terra maria. Vides
ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis
sit in sermone domini nostri Ihesu ut inciperet esse quod non
erat: quanto magis operatorius est ut sint que erant
et in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante consecra-
tionem iam corpus Christi post consecrationem est, quia
sermo Christi creaturam mutat. Et sic ex pane fit corpus
Christi. Et vinum cum aqua in calice mixtum: fit sanguis
consecratione verbi celestis.

Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video:
sed habet similitudinem. Sicut enim mortis simili-
tudinem assumpsisti: ita etiam Christi similitudinem sang-
uinis bibis, et nullus horror cruoris sit et precium tamen
operetur redemptionis. Didicisti quia corpus accipis
Christi. Vis scire quia verbis celestibus consecratur? Accipe
que sunt verba. Dicit sacerdos: Fac nobis inquit hanc ob-
lationem ascriptam rationabilem et cetera. Inde omnia
illa evangeliste sunt usque ad accipite: sive corpus sive
sanguinem. Inde verba Christi sunt: accipite et bibite ex hoc
omnes: hic est enim sanguis meus. Vide singula. Qui pridie
quam pateretur accepit inquit in sanctis manibus panem.
Antequam consecretur: panis est. Ubi autem verba Christi ac-
cesserint: corpus Christi est. Denique audi dicentem: Acci-
pite et edite ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum.
Et ante verba Christi: calix est aqua et vino plenus. Ubi
autem verba Christi operata fuerint: ibi sanguis efficitur
qui plebem redemit. Ergo vide quantis potens est sermo
Christi universa convertere. Denique ipse Christus illis testificatur
quod corpus suum et sanguinem suum accipiamus. De cuius
fide et testificatione dubitare non debemus.

In .iiiᵒ. nᵒ. ant.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et mise-
rator dominus escam se dedit timentibus se alleluia. Ps. Domine ex-
ant. Memoria mea in generatione seculorum. Qui edunt
me adhuc esurient et qui bibunt me adhuc sitient
alleluia. Ps. Benedic anima mea .ii. Antiphona
Qui habet aures audiendi audiat quid spiritus di-
cat ecclesiis: vincenti dabo manna absconditum alleluia. Bi-
bi vinum cum lacte meo alleluia.
R. Melchisedech vero rex Salem proferens panem et vi-
num erat autem sacerdos dei altissimi. Benedixit abra-
he et ait. Versus. Benedictus abraham deo excelso
qui creavit celum et terram. Benedixit. R.
Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio
sanguinis Christi est. Et panis quem frangimus nonne
participatio corporis domini est. Versus. Quoniam unus pa-
nis et unum corpus multi sumus nam omnes de uno pa-
ne et de uno calice participamus. Et panis. R.
Ego sum panis vite patres vestri manducaverunt
manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de celo
descendens si quis ex ipso manducaverit non moriatur.
Ego sum panis vivus qui de celo descendi. Versus.
Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in eternum.
Hic est. Gloria patri et filio et spiritui sancto. Non moriatur.